



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 96. Erant enim oculi eorum grauati. v. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

delis Dominus, Pater, Pastor, Prælati (qui enim curam non habet domesticorum, deterior est infideli,) ad nostram instructionem, ut in omni tempore, & semper sine intermissione curam habeamus de nobis commissis, ne quis pereat incuria nostra aut cadat: unde ad patrem ipse dixit *Pater quos dedisti mihi non perdidisti ex eis quemquam.* Talem sollicitudinem & curam habendo de eis: etiamsi dormierint, excitarentur, vigilarent, conuerterentur, poenitentiam agerent, saluarentur.

O Bone Iesu quoties ego dormio, dum maximè vigilare deberem, quam parum mihi intendo; quam parum apprehendo pericula in quibus versor, & tu tam paterne me sustines, & suaviter supports, & mei curam geris dum ego me ipsum negligo, excita me Domine à somno meo. Tu scis infirmitatem meam: da ut ego agnoscam, & de viribus meis diffidens, in tua firmiter confidam misericordia, occasiones male agendi deuitem & iugiter ad orationem tuo exemplo recurram.

§. 96. *Erant enim oculi eorum grauari. v. 40.*

Non est opus inquirere, quare oculi Apostolorum fuerint grauari, obuia sunt causa. Homines erant, uti nos, & ingruente tempore naturæ necessario ad quietem, naturaliter ad quietem ferebantur, & in alieno periculo, parum percellabantur, uti & nos, & suum periculum non aduertebant, uti & nos sæpe non aduertimus, & cum illis à Domino suum periculum inculcabatur, non timebant tanti esse momenti; sed sperabant transiturum, ut innumera mala, quæ timemus, præterire experimur & lætamur. Ecce causas, ob quas oculi eorum erant grauari.

Domine Deus, ego in grauedine oculorum Apostolicorum video, tantquam in speculo, me quoque esse grauatam sæpe non solum quoad oculos, sed etiam quoad cor. sæpe rideo, quando deberem flere, sæpe fleo, cum deberem esse sereno oculo, & ima summis commuto. quid hic dicam? Apostolos video nescisse quid responderent pro se, potero ne esse scientior illis? Sane potero esse post illos, doctus iam per illos, nempe, hoc dico: Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte peccati, negligentia, incuria, securitatis indifferetia, qui die ac nocte non cessas vigilare super Israel, ne forte cum fatuis virginibus fortunæ bonæ tempus dormitando sinam præterlabi. Deus in adiutorium meum intende.

§. 97. *Et ignorabant quid responderent ei. v. 40.*

Experge facti aliquantulum & intuentes Christum Dominum, ignorabant quid responderent, tacendo, vel certe, quod semel opitis contingit, aliena